

rientiæ convenientia sequar : Sunt autem illa numero quatuor: *Phlegma, Terra, Sulphur & Sal. Clar.* *Willisius quidem lib. de Fermēt at. cap. 1. p. 2. & capite de urinis p. 152. ope Chymiaë quinque principia sese elicuisse scribit. Phlegma sc. seu aquam, spiritū, oleū seu sulphur, Sal, & terram seu caput mortuum.* Sed cum sciam spiritum nihil aliud esse quam salem in suo phlegmate solutum, hinc non sine ratione spiritum excludere poterimus, cum nihil aliud sit quam compositū quid ex sale & aqua, quæ combinata sub una forma elicuntur. Interim principia illa quinque *Clar: Willisii* non carent sua laude. Non enim vendit illa tanquam simplicissima & purissima, sed ut composita ex primis Elementis, quæ ad productionem corporum sensilium concurrant, & in destructione illorum rursus educantur. Eadem probat reperiri in combustionem lignorum *Boyl: l. c. p. 31. & in resolutione sanguinis p. 12.* Quod autem hæc principia præ aliis mihi arrideant, causa est, quod primo penitioris inquisitionem, rigorosiusque indicent examen, quo ad penetralia corporum magis perventum sit. Secundo, quia non sunt prima & vera Elementa, sed tantum Elementata, qua in re directe principiis *Paracelsitarum* opponuntur. Tertio non semper requiritur, ut ex omnibus corporibus rursus ope Ignis omnia simul prodeant, cum aliqua tam firmo partiū nexu invicem sint irretita, ut etiam maximam Ignis spernāt vehementiā; Sufficit enim si in magis resolubilibus inveniuntur; Sic vitrum ex sale aliisque corporibus constat, inde tamen velle rursus per Ignem Salem elicere, irritum esset factum. Sic etiam si spiritum acidum cum Sale tartari vel alio alkali confundamus, hæc duo Salia tam firmiter se invicem amplectuntur, ut si acidum rursus separare velimus, idem labor esset, ac si *Aethiopem dealbare* vellemus. Dividuntur autem hæc principia *in activa & passiva.* Hæc